BIGA DECLAMATIONUM
De
PACE
HISPANO-GALLICA,
In Inclyta propter Salam Univerſitate ad liberale exercitium habitarum

à

JOHANNE FRIEDERICO KOBIO, Nordlingenſi,

&

RUDOLPHO Roht/ Ulmenſi.

JENAE,
Literis WERTHERIANIS,
1668.

PHILIPPUS MÜLLERUS,
ELOQVENT. ET POES. P.P.
Civilis Eloquentiæ Cultoribus
S. D.

CElebratur famâ *Bellum*, quod nuper recruduit, *Hiſpano-Gallicum.* Dubiis item ſententiis *Pax*, præter omnium opinionem, repentina, à tanto motu, agitatur. Eapſe cum Academicæ vitæ deditis exercitium non indecorum porrectura videretur, in Oratoriâ præſertim cathedrâ, obtulerunt ſeſe Juvenes ornatiſſimi,

DN. JOHANNES FRIEDERICUS KOBIUS, Nordlingenſis, &

DN. RUDOLPHUS Roht / Ulmenſis,

quorum alter *Suaſor* Pacis illius, *Diſſuaſor* alter ſurgeret. Sed arbitros heic requirunt, cum & ſeria tractatio tanti negotii cenſoribus, mediatoribus, impulſoribus plurimis gaudeat. Nec vel digniores vel acceptiores Vobis, Suaviſſimi mortalium, cum cœteroquin inſignibus politicarum diſceptationum momentis intendatis, jam deſiderant: meque adeô non invitum adduxerunt, ut voluntatis ipſorum precumque interpres unâ Vos officioſè & peramanter exoratum irem: ne præſentiam ve-

ſtram huic cathedrario diſſidio (quod aliis ſerio agitandum relinquimus), modò denegaretis. Facietis autem, quod planè confido, perlubentes, cùm & auſcultandi ſolenne Vobis inſtitutum, & argumentum illuſtre, & hi commilites veſtri ſuo veluti jure expoſcere videantur id officii. Nec tædii metu abſterrebimini. Unâ eademque horâ, quæ X. *craſtinæ diei* erit, dicent, prompti memoriâ, nec, ut ominor, ſine alacritate decoræ actionis. Habebitis viciſſim in deſideria honeſta obvios; uſumque nonnullum talium diſquiſitionum principia utrinque altius repetendi, atque è veterum fortunâ fabulam, mutatis modò perſonis actam, prudenter dijudicandi. Incidunt verò ea tempora, quæ non ludicro, ſed magnâ contentione iſtius generis argumenta grare jubent. Tantô opportunius eſt, præludere decretoriis certaminibus, & ingenium aptare, iis, quas neceſſitas reipublicæ frequenter imponit, periculoſis & graviſſimis conſultationibus. Verum quid ſtimulis acrioribus ago, quos Declamatoribus meis ſpontè præſentes cupidosque intelligo? Ea certè retrahor, ut memoriam voluntatis gratæ facto ipſo, cum res & occaſio feret, conteſtatum iri, jam ingenuè ſanctèque pollicear. Valete. P. d. XII. Jun. Anno Gratiæ renovatæ cIↄ Iↄc LXIIX.

De-

Declamatio prior,

Suaſoria

JOH. FRID. KOBII.

DE Conſtantio Romanorum Imperatore, *Auditores ornatuſſimi*, refert Ammianus Marcellinus, quod adeò pacis fuerit ſtudioſus, ut, cum Alemannorum pacem, quam offerebant, militibus prudentiſſima oratione perſuaſiſſet, tandem diceret: *Non inertiæ, ſed modeſtiæ, & humanitatis eſſe, Pacem non negligere.* Quo auguſtiſſimo elogio Imperator teſtari volebat: nihil jucundius, nihil melius, ſalutariusve in toto terrarum orbe inveniri poſſe, quàm pacem. Ubi enim illa ſuum obtinet dominium, ibi ſtatus omnium rerum quàm optimus eſſe ſolet. E contrariò ubi Mars & Bellona ſua metati ſunt caſtra; ibi omnia bona penitus tolluntur & delentur; leges violantur, cives mactantur, villæ comburuntur, oppida evertuntur, Templa ſpoliantur, Scholæ diruuntur, innocentes miſere trucidantur, opes ſubditis adimuntur, ſeditioſi excitantur, amici diſtrahuntur, inſontes in miſeriam abducuntur, commercia & negotiationes impediuntur, ſtudia bonarum artium ſpernuntur, Reſpublicæ nefariè turbantur, integra regna flammâ ferroque vaſtantur, omniaque luctu & cruore complentur. Adeò

Nil belli in bello eſt: cædes, incendia, ſtupra,
ſunt fructus belli; num tibi bella placent?

Et quemadmodum venenum maximè nocet, cum per ſe homini vitam eripiat, ſic bellum nocentiſſimum eſt, quod & ceteris ſpoliat bonis, & ſalutem tam ſummorum quàm infimorum in maximum ac ſummum periculum adducit; At velut imber ſitientibus agris & fructibus gratiſſimus eſt, atque utiliſſimus; ita pax jucundiſſima & ſaluberrima eſt iis, qui variis difficultatibus ac calamitatibus conflictantur: Pax enim omnia mala ac calamitates declinat. Pacis tempore bonæ leges & mores vigent, Respublicæ florent, ſtudium Religionis fervet, Urbes virent, villæ & oppida undique extruuntur, extracta ornantur, collapſa inſtaurantur, divitiæ atque opes augentur, ſtudia honeſtiſſimarum artium ac diſciplinarum excoluntur, Mercatura atque Negociationes exercentur. Hinc ſcitè Poëta:

Pax hominum genitrix, pax eſt Cuſtodia rerum,
Pax aperit Juris Juſtitiæq; forum.

Quid ergo lætius? quid gratius? quid utilius? quid melius in communi hominum ſocietate accidere poteſt, quam ubi tranquillè atque pacatè mutuo vivitur. Imò nulla nobilior ac vitæ humanæ conducibilior virtus eſſe poteſt, quàm pax & Concordia, quâ res quantumvis parvæ creſcere & immenſum gliſcere ſolent. Repugnat enim naturæ humanæ, dira arma tractare, cœlum terra miſcere, utpote, quæ mitis & placida à Deo creata & naturæ divinæ proxima eſt. Hinc eſt, quod Servator noſter Pacificos beatos vocat, quòd ſapiens ſedatos & in tranquillitatem propenſos omnibus Poliorcetis & præpotentibus hoſtium domitoribus anteponit: Merito igitur omnes omnino homines omnia ſua eò diriguntò,

ut

ut in Pacem (quam licet iniquam, juſtiſſimo tamen bello anteferendam Sapientiſſimus Solon putavit) ſemper proſpectent, & aureum illud è Taciti Agricolâ obſervent: *Ite ad Pacem, tam quibus Salus, quam quibus gloria cariſſima eſt.* Hæc *Auditores*, in pacis laudem conferre viſum fuit, quod eam ut noſcetis ſic ad animū revocari, ſerioque exerceri intererit hodienum multorum Principum, ac rerumpublicarum, quæ mutuis odiis in propriam perniciem, contra humanitatis, nedum Chriſtianæ dilectionis jura truculentes deſæviunt. Et, ut vel unum exemplum deſignem, vix quenquam veſtrum fugere poteſt, quæ fama tot per urbes, regiones, regna, Europam, mundum imo univerſum ſparſit, reapſe autem intulit mala *Bellum* iſtud nuperrimum *Hiſpano-Gallicum*; quantoque ſtudio ac labore Sereniſſimus *Britanniæ Magnæ Rex & Fœderati Belgii Ordines* viciſſim anniſi ſint, ut cum paries proximus inardeſceret, flamma illa quantocyus reſtingueretur. Ut vero hi omni laude digniſſimi Pacificatores promemoratæ Pacis emolumenta haud dubie intuentur & ſapienter inculcant: ita eadem merito obſervat *Catholicus Rex Hiſpaniarum* CAROLUS II. ſi ſibi, totique auguſtiſſimo regno ſuo benè conſulere animus eſt, ut bello infauſto explicitus Pacem cum *Chriſtianiſſimo Rege Galliæ* LUDOVICO XIV. ineat, ſervetque initam. De quo dum ad Vos perbreviter dico, quæſo A.O. ut mihi in tanta argumenti gravitate vacivas aures benigne commodetis.

Enimverò vel *communia*, quæ omni paci ineſſe jam dixi, bona appetitum ejus acerrimum cujusve incendere debent. Quæ autem *propria* quaſi ſunt & ſoli Hiſpaniarum Regi regnoque debita, rapere etiam iſtuc, longè acrius quàm ad Indiarum inveſtigationem & domini-

um

um, debent. Principiò enim intuemini, quæſo, *Conſinitatem*, quâ per Europam Pyrenæis tantum montibus diſſident, ſi Hiſpaniam reſpiciatis; in Gallia Belgica non diverſum ſed unum, ex miſtura territoriorũ, imperium, præferre videntur. Ita in America ſeptentrionali florida Gallorum quam contigua eſt Mexicano Hiſpanorum dominio? At, cum diſtractas tantis intervallis ditiones contra tot naturæ & hominum obſtacula vix tueantur Hiſpani, vel nullo aperto hoſte, quam, quæſo, ſalutaris erit gentis tam bellicoſæ amor & concordia firma? Hinc enim mox dependent, commercia num floreant, an jaceant? Illò ſanè ærarium & robur Hiſpanorum, hoc languor & ruina procuratur. Stimulet inſuper eum ad Pacem arctiſſima tot ſeculorum *Conſanguinitas*, Sane ne bruta quidem cum ſui generis conſortibus facilè in prælium ruunt, ut bene Germani noſtri dicant: es müſſe ein harter Winter ſeyn/ da ein Wolff den andern freſſe. Quanto rationi rectæ, nedum naturali illi ſanguinis conſenſioni convenientius ſit, colere amorem, & amore vero involvere, quæ ceteroquin inamœna videbantur. At quam frequens quin perpetua inter horum regnorum Principes interceſſit Conjunctio, *Ludovici* VII. cum *Iſabella, Alphonſi* V. *Caſtellenſis* filia, *anno* 1152; *Ludovici* IIX. cum *Blanca Alphonſi* IIX. nata, *anno* 1201, *Franciſci* I. cum *Caroli* V, Sorore *Eleonora*; *Philippi* II. cum *Eliſabetha Henrici* II. filia; *Caroli* IX. cum *Anna Auſtriaca*, *Ludovici* XIII. & qui nunc feliciter regnat, XIV. cum *Philippi* IV. nata primogenita. Cumque omnium ſocietatum humanarum & prima tempore, & caritatis conciliandæ vi efficaciſſima ſit conjugialis, quid convenientius fuerit, eo, quò tot olim Reges ac populi ex infenſis & juratiſſimis hoſtibus in amplexus & fœdera

redie-

redierunt, adminiculo etiam hos Principes devinciri ac ſanctè attineri? Nam & alterum idque longe ſanctíus omni humano nexu vinculum intercedit *unius ejusdemq; religionis Chriſtianæ.* Cum ſint Chriſtiani, imo ἐξαιρέτως alter *Catholicus,* alter *Chriſtianiſſimus,* intentionem igitur utrinque Chriſtianam & Catholicam in caritate vera habeant. Hanc utique ipſe Salvator omnibus Chriſtianis legare voluit; cujus optimus interpres nos vult, quantum fieri poteſt, quantaque in nobis ſitum eſt, cum omnibus pacem quærere. Ipſi verò, ut tot Chriſtianorum Duces, quod ſuis juſſis & conſtitutionibus urgent, alioquin, ſpirante argumento,

cujus ad exemplum totus componitur Orbis,

prælucere debent. Licet verò fortè objiciat non nemo; æquum eſſe juſtitiæque conveniens, *vim illatam propulſare* & ſtrenuè niti pro ſuo defendendo; Liquet tamen & ſalvas ſecurasque res iſto modo præſtari, & ſummè Chriſtianum eſſe, propter Principem Pacis, Pacem amare & conſervare, ita ut non magis ſtudendum ſit juſtitiæ externæ, quàm Paci & concordiæ publicæ. Equidem pacem hanc toti Imperio Hiſpanico *utilem* eſſe, conſtat. Qui enim quamque immanes ſumtus in ſcribendo contra tot inſultus milite, parandis commeatibus, armis, munitionibus reſtaurandis, recentibus ſtruendis, auxiliis parandis, inſumendis, quæ damna in omnibus fere ditionum ejus partibus toleranda ſunt? quis rerum civilium vel paulum gnarus hoc neſciat? quis vel è patriæ noſtræ nupera calamitate, Oceanum, lernam, Iliadem malorum bellicorum, & jam in mediis ſucceſſibus, qui tamen heic deſiderantur, non recordatur? nec audit lamentantes iſtas ſub

armorum rabie animas inſontium? Scitum ab ipſo Philippo II. hujus regis proavo: duobus quaſi canalibus aureos fontes corrivari in theſaurum Hiſpanicum, ſc. ex *reipublicæ adminiſtratione*, & *navigatione Indica.* At verò quot locis intermediis naturæ beneficio Gallus egreſſos ac reverſos turbare, intercipere poteſt. Nam hinc è *Tolonii* & *Maſſiliæ*, hinc *Dunkerkæ, Caleti, Diepæ, Breſti, Rupellæ* aliisque pluribus portibus, velut è ſpeculis, imminet, ut modò Belgii Hiſpanici commeatus, modò Hiſpaniæ ipſius, quaquà maris uſu propiori à natura dotata eſt, commercia opprimat. Nil de *Americanæ* rei difficultatibus dico, quas vel antiquiora *Laudorcerii, Gurgii* & ſimilium exempla plus ſatis edocebunt. Addito *ſterilitatem* Hiſpaniæ fatalem, cui cum fertiles Gallorum provinciæ tantum ſubminiſtrent, ut ad quatuor milliones auri quotannis hinc referantur, quæ tum vero inopia & qui ex inopia populi motus ac miſeria conſequetur? Pax verò non neglecta omnia in contrarium verſura eſt, cum nec tanti ſumtus nec tanta pericula amplius imminebunt, opes ac reditus aliaque illi ſalva manebunt. Id quod ut citò & certa rerum fide experiantur, uno temporis præſentis aucupio futurum eſt. Nec vero quiſquam rorum Hiſpanicarum tam ignarus fuerit, quin agnoſcat, pacem Hiſpano valdè eſſe *neceſſariam.* Jam plane imparatus atque inermis eſt contra tantam hoſtis potentiam. Ad nonaginta & amplius millia inſtructiſſimorum virorum Gallus, ſtatum compoſitum, populos ad omnia fidiſſimos & promtiſſimos oſtentat. Ipſe prudens, acer, bellicoſus & gloriæ magnæ cupidus. Cujus indices ſunt, qui regia authoritate

pro-

prodeunt libri, nec Hiſpanicum modo Belgium, ſed Germaniam omnem, orbem univerſum huic Principi, omine quidem quàm rato, non dixerim, confidenter præſagiunt. At, quod ſagaciſſimus ille *Boccalinus* cenſebat; *tales libelli ſunt inſtar canum odoratorum, qui non ante caudam motitant, niſi cum præda in proximo eſt, fereq́ quod glorioſè jactant, vi armata paulò poſt evincere laborent.* Rex Catholicus verò & morbidus corpore fertur, & ætate non puer, ſed infans; Proceres Aulæ diverſi ingeniis, ſtudiis; populi exhauſti; nulla arma, nullæ copiæ, res adeò in eas prolapſæ anguſtias, ut nec exercitum educere potuerit hactenus, ſed alias ditiones oppignorare Belgis, juratis aliàs hoſtibus, cogatur, aliis, ut Suedis Anglisve immenſam pecuniam ob ſubſidia polliceri. Quæ ſingula & infirmitatem Hiſpanici Status præſentem arguunt, & *damna* præſagiunt immenſa, è bello iſto, ſi non quantocyus opprimatur. Exemplo vel noſtra Patria erit, cum pacem averſata auxiliis externis incubuit. His enim non jam dimittendis, ſed à cervice removendis quàm immanem pecuniam, quos honores, quantam prædam, quot, quamque florenter provincias tranſcripſit? Cujus ſimilitudine, quod Gallis jam ceſſurum eſt, ſane leviculum videbitur ad ea, quæ bello proceſſuro perditum iri perverô conſentaneum eſt. Uti hactenus vix ullæ Hiſpanorum cum Gallis transactiones citra tales jacturas ſteterunt. Et verò ſi maximè proſperior ſucceſſus ſperetur, is tamen non gratuitus erit, ſed cum jactura & ruina ditionum Hiſpanarum maxima, uti bellorum eſt genius. Heic igitur cum

Scipione illo cogitetur: juſtius eſſe, unum civem ſervare, quàm mille hoſtes occidere; juſtius eſſe hoſtes nocentes dimittere, quàm Cives immerentes ad malum trahere; cum vel pauculorum ſubditorum ſalus plus autoritatis ac famæ conciliet, quam plurimorum hoſtium interitus. Ne dicam, reſtincta hac face, non ſolùm Hiſpaniæ & Galliæ, ſed & toti Europæ Chriſtianæ priſtinam tranquillitatem confirmatum aut partum iri, uti alioquin motus & quies horum Imperiorum cæteras Reſpublicas plerumque ſollicitant.

Verùm *damna* jactari audio & *dedecus*, ſi, in nullâ dum vindictâ niſuque contrario, impunè inſultatum Hiſpanicis ditionibus, præda egeſta, tributa indicta, exacta, deſolata & fædata paſſim omnia ſint? tot inſuper urbes, caſtra, regiones cedant violentiæ Gallicæ? Enimverò & ultionem nullo admodum fructu uſum iri, nec poſſe, prout nunc res ſunt, commodè tentari, ac prudentius, intuitu graviorum, quæ ſecutura ſunt malorum, intermitti poſſe liquet. Honeſtè quidem, ni fallor, cum decus publicum non oſtentatione virium, ſed ratione ſtatus prudenter conſervata arbitramur. Quid? ſi id, quod injuſtè negatur, præcipuum dedecus conciliat, honeſta hæc conceſſio, at turpis negatio præſentium petitorum meritò videbitur.

Advertite enim *A.O*: ſereniſſimam *Mariam Teréſiam*, Gallorum Reginam, tanquam primogenitam *Philippi* IV. Filiam, *jure devolutionis Belgico* omnem paternam hæreditatem in Belgio Hiſpanico ſummo jure repetere, cum iſtud jus etiam privatis compe-

tat,

tat, nedum Regibus, quorum in favorabilibus longè potior eſt conditio.

Quod ut evidentius Vobis, *A.* pateſcat, id mecum intelligetis, cum *Hereditatis*, tum *Dotis* nomine Belgium Hiſpanicum à Gallorum Regina petitum fuiſſe. *Hereditas* erat. Nam Belgium, ceu caput & fons totius Hiſpanicæ Monarchiæ, ſic Gallicæ Reginæ Parenti *Philippo* IV. competierat, ut, ipſo ad ſecunda vota tranſeunte, ad primi conjugii prolem, quæ, poſt *Balthaſaris* fratris obitum præmaturum, unica ſuperſtitit *Maria* iſta *Tereſia*, indubiè tranſiret. Sententiæ firmamentum eſt Jus per Belgicas ditiones antiquiſſimum & ſanctiſſimum, quo, quicquid marito cum prima uxore ullo modo quæſitum poſſeſſumve tanquam proprietario fuit, id ad ejus Conjugii propagem, protenus à morte alterutrius, pleno dominio devolvitur. A qua ratione etiam *Devolutionis* jus nuncupari ſolet. Nec ullam vim habet dubitatio, ac ſi hoc jus tantum privatos, non ipſa rerum capita concerneret. Nam & exempla tot rei judicatæ contrarium evincunt, & communis ratio, ne Princeps ſalutaribus in republica legibus non ſemet ipſum quàm accuratiſſimè componat. Hoc unum caput. *Altera Hereditas* in *matris* mobilibus bonis hæret. *Mater quingena millia coronatorum* dotis nomine ab *Henrico* IV. Patre accepit. *Ducena ſexagena ſenaque millia* maritus *Philippus* IV. ſubſidium adjecit. Superant *centum millia* ratione clenodiorum è mundo muliebri, pars à patre, pars à Conjuge donata. Quibus ſi interuſurium vel modicum tot annorum computetur, ad *undecies centena millia coro-*

 nato-

natorum Reginæ, debentur. Jam porrò *dotem filiæ* à Parente Hiſpano promiſſam æſtimate. *Quingenta millia Coronatorum*, quantum ejus mater attulerat, promiſſa ſunt, tribus penſionibus æquis intra decem & octo menſes à nuptiis initis exolvenda. Quæ ſumma & modica, intuitu tanti faſtigii, & tanto fidelius repræſentanda videbatur, cum immane, de quo mox dicam, lucrum eopſe captarent Hiſpani. Illa verò dos matrimonio dudum ſecuto, irritis poſtulationibus Conjugii, nec præbita, nec certa ſpes facta, unquam præbitum iri. Cum igitur *mater* Gallorum regia primum nomine regis filii, per *Fontanum* Comitem, à morte *Philippi* IV. in aula Hiſpanica amicè urgeret, ſed incaſſum, eludique jus faſque deprehenderent omnes, ea verò ſuprema ſuum conſequendi via Gallis ſupererat, ut vi, quod voluntate non dabatur, juſtiſſima vendicarent. Video ſanè, jactatum ab Hiſpanis *pactum renunciativum*, quo filiam Pater Hiſpanus adegit, antequàm Galliæ regem maritum obtineret. Sed, per immortalem Deum rogo Vos, A. an unquam durius quid magiſque alienum à paterna pietate, à naturæ brutæ, nedum rationalis legibus, aut gentium moratiorum placitis exaudiviſtis? Quis enim aliàs Pater filiam eo titulo excluſit hereditate ſua, nedum eà, quæ ipſi jam dum debebatur, quia liberos genitura, quia avum ipſum prole felici factura erat? Quem ſcimus, hac conditione filiæ nuptias, eaſque tam glorioſas, permiſiſſe, ne aut gigneret, aut genitis avi aviæque bona unquam permitterentur? Inhoneſtum verò Imperatori Juſtiniano viſum eſt, vinculo

culo pœnæ matrimonia obſtringi, & pacta talia, tanquam ne quidem cogitata eſſent, irrita eſſe cenſuit. Id quod amplius liquet, cum advertimus A. Reginam, tum patriæ adhuc poteſtati ſubjectam, nec idoneo tutore (nam Pater contra ipſam ſtetit) protectam, cum parente tantam rem paciſci non potuiſſe? nec id, quod totius Reipublicæ ſalutem implicat, qualis eſt ſucceſſio in regno, inſciis, quin invitis ordinibus Reipublicæ, æterno ipſorum præjudicio, valere? Ipſi quoque miniſtri, per quos Galliæ Rex res iſtas tum curavit, nec facultatem agendi plenam, nec aſſenſum oſtenderunt, ipſomet Ludovico Harone poſtulatum hoc ſui Regis obſurditatis incuſante. Hæc igitur Hiſpanorum deſideria cum tam ſuapte indole iniqua eſſent & cumularentur, mora affectata, leviculum illud dotis & renunciatæ hereditatis titulo promiſſum, quis non probet, non expoſcat incendatque Gallorum Regem, ut Optimæ Conjugis jura curet ex fide, quam maritus uxori, parens liberis, rex civibus, præſes, natura Deoque autore conſtitutus, ad res hominum ſartas conſervandas, debet? Quis non immenſas averſetur Hiſpani cum juris æquique negatas & exploſas regulas? Quis non miretur Gallicam humanitatem, tantum de ſuo jure cedentem, & pacem, quantillo debitæ hereditatis momento tradito, in tanta fortunæ florentis benignitate, amplexaturam? Quod viciſſim lucrum avaris Hiſpanis objicitur, cum decuplo plura retineant, quam debuerunt ſolvere? Satis igitur ex his omnibus apparet, nihil opportunius Hiſpanis fore, quàm hanc pacem; quâ non modo

do ii, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta agrique lætari videntur. Quamobrem Felices, & terque quaterque beati ſunt prædicandi, qui pacis tam neceſſariæ, tam opportunæ Compotes evadere poſſunt. Equidem ſi Chriſtiano, ſi hominum funguntur munere, quod eſt Juſtitiam defendere, Pacem quærere, jacentes erigere, egentes reficere. Si bellum, non belli cauſſa, ſed judicio Salluſtii Hiſtoricorum Principis, Pacis cauſſa gerunt, ſecundum illud Divi Auguſt. non Pacem quærent, ut bellum exerceatur, ſed bellum gerent, ut Pax acquiratur.

De-

Declamatio poſterior,

Diſſuaſoria

RUDOLPHI Roht.

P*Ace ſuſpecta tutius bellum* ; inquit hiſtoricorum omnium Princeps & Imperator, virtutum civilium majeſtate omne faſtigium humanum excedens, nec tenui ſermone velut homo, ſed eloquenti ſilentio Deitatis inſtar venerandus C. CORNELIUS TACITUS, ſententiis celeberrimus; *Pace ſuſpecta tutius bellum.* Multis enim technis doliſque fucata ſtabilis non eſt, ſed perendie rurſus convellitur. Periculoſæ pacis nomine involutæ inſidiæ, haut minus quàm ipſum bellum metuendæ cenſentur. Et frequentius conventionum paciſque ſimulatio credulis quam arma nocuerunt. Licet interdum iram diſſimulent, ſimul & meditantur vindictam ; ex opinione perfidiæ, ſubnitentes diffidentiæ, tantum ſi bellicæ ártes curantur, ad ſeſe ſpectare ſtatim autumant. Subinde odio mutuo flagrantes acerbe diſcordias augent, easque evomendi captant & dolos & tempora. Sed u-

num hoc eſt tempus de pace agendi, dum ſibi uterque confidunt, & pares ambo videntur; ſi verò alteri paullum modo tribuit fortuna; non eſt uſurus conditionibus pacis ille, qui ſuperior videtur; neque æqua parte contentus, qui ſe omnia habiturum confidit.

Tutius igitur bellum, imo inhoneſtæ paci anceps præferendum.

Quod ipſum quoque exiſtimandum duco de nupera pacificatione *Gallorum cum Hiſpanis*, quæ ut duratura minime videtur, ita contra ac Tu, *mi Kobi*, opinaris, *nec ineunda Hiſpanis fuerit.* Quod ad oculum, ut dicitur, demonſtratum tibi evictumque dabo. Ut v. id elegantius faciam, à Vobis *Aud. Honorat.* ſubmiſsè contendo, ut, quo Adverſarium dignati eſtis favore & humanitate, tenuitatem quoque meam ſubleveris, adeoque, ſi quis huic materiæ debetur amor, me de illa balbutientem benigne audiatis.

Ac iſta quidem quæ modo recenſuiſti, Commilito Præſtantiſſime, prima facie magni eſſe ponderis atque momenti videntur; quando autem rem anquiſitius conſidero, multo aliter ſe habere experior. *Cauſſas* ſi acerrimè perpendo, imbecilles, ne dicam frivolas, eſſe reperio. *Confinitatem* ſi intueor utriusque populi, tanto magis cavendum eſſe autumo, ne Galli, quod tu minabaris, fines ex improviſo invadant, noſtram ditionem occupent, atque ſic migrent terminos. Nam iidem manere debent, ut ſalva ſit Confinitas. Aliàs viciniratis jura, modò unicus pagus decerpatur, tolluntur: & metuendum

eſt,

eſt; ne, uti cancer ſerpendo paulatim corpus omne exedit, ſic, ſenſim ſublatis per Gallicam cupiditatem partibus, tandem totum intereat.

Quod porrò infertur de *commerciis*, arbitror, invertes mecum, arbitratus, potius, ſi Galli ea, quæ ſuæ jam ditionis fecêre, retineant, omne commercium impediri. Tot enim emporia, portus, trajectus, pontes aliaq; jam interceperunt, ut nullibi Commeantibus à vi ſecuritas, ab avaritia modus ſperari poſſit. Nec verò commerciis adeò innitendum puto, ut potiora Reipublicæ momenta negligantur. Ante omnia proſpiciendum, quid *Saluti* & *Dignitati Status* conducat. Hæc non ſolùm in commerciis conſiſtit; ſed id prudentiæ eſt, ut, quæ actu poſſidentur, rectè gubernentur, atque ſtrenuè defendantur; aliàs bona priſtina detrahuntur & auctoritas omnis, omnis potentia in nihilum recidit.

Sed *conſanguinitatem* jactas, Gallos inter & Hiſpanum toties & tanto lapſu temporum cultam: Idipſum verò deplorandum eſt, quòd Galli tam arcta cognatione Hiſpanis juncti, ſubinde conceptum odium & diſcordias exerceant. Contra exoptandum maximè eſt, ut tandem ad amicitiam deſcendant veram, nexuque inſolubili amoris ſeſe ligent mutuò. Hiſpani ſanè lubentes id præſtiterint, ſi de Conſtantia Gallorum certi eſſent. Verum horum levitas dudum ac toties cognita, ac technæ exploſiſſimæ ſunt. Unde vides, quam amicitiam cum ipſis inire queant? Licet enim ſæpè veram amicitiam ſimulent, ſemper tamen illam claudicare querimur. Sanè ſi unquam certam nobiſcum coluiſſent, nunquam talia ſuſcipe-

re auſi, ſed eâ retracti eſſent ab iniquis illis petitionibus & attentatis, quæ, contra omne jus amicitiæ, tractarunt; ipſò etiam facto, vi, impetu, ſpoliis, deprædationibus, cædibus, incendiis & profanatione ſanctisſimorum cum innumerorum innocentum lacrymis crudelisſimè exercuerunt & hodienum exercent. Non evagabor in hoc campo, & undecunque corradam vetera propioraque hujus nationis vitia, nec laſſabo patientiam Auditorum inani circumitione verborum. Belgium intueri jubebo, ut jam rapiatur, uratur, omni genere barbaricæ truculentiæ laceretur! *Cauſſas* non juſta hoſtilitas, ſed inexplebilis alienorum cupido, ſed inquietiſſima nationis illius ingenia, ſed infenſus perpetuò in Hiſpanos animus porrexit. Heic etiam agnoſco, quod Hannibal olim ſuis Suffetibus opponebat: *nullam magnam civitatem diu quieſcere poſſe, ſi foris hoſtem non habent, domi quærere.* Nec exolevit conſilium, inviſi cætera Gaſparis Caſtilionuri: *Gallos in exteris indeſinenter exercendos, ne in ſua viſcera inſita levitate ferantur.* Hoc igitur eſt obſervare Conſanguinitatem? colere amicitiam? immeritone ambigitur tales hac cognatione, hoc nomine dignos judicandos eſſe?

Religio, quæ à Te opponitur, fateor, Gallos deterreat à tot facinoribus, ſi aliquam tamen, ſi eandem tamen cum Hiſpanis verè colunt. Neminem præter cauſſam lædi, naturalis ratio jubet, læſum verò religionis Chriſtianæ intuitu, ultrò remittere offenſam, monemur, & omnia experiri, antequam armis. Quæ verò heic lædendi perdendive inſania eſt?

eſt? quæ iniquitas petitorum immanium, & cum non protinus conceduntur, auferendi rabies ſævi animi? Nonnè igitur ſatis impietatem in doctrinam indicant? infidelitatem teſtantur in conſecraneos; produnt truculentiam ſuam, iracundiam & diſſentiendi ſtudium? quæ caritati Chriſtianæ omnibusque legibus humanis ac divinis ſummè contrariantur, nec ullis mediis apud tam præruptæ iniquitatis ingenia quàm armis retundi domarique poſſunt.

Licet quoque verum ſit, *grandi bella periculo trahi*; aſt æquale illud vel potius majus Gallis imminet; non ſolùm enim propriis viribus Hiſpani, illis quantumvis formidandis contendent, ſed etiam auxiliares potentiſſimos intuentur, Anglos & Batavos; & qui non inferioris ſapientiæ potentiæque ſunt, Auguſtiſſimum Imperatorem Germanorum, quicum itidem conſanguinitate, verùm fideliori quam Gallica, arcte cohærent; ſuppetias quoque Suedi ferunt, quorum virtus maxima toto Orbe innotuit; ſuppetunt tot regna, provinciæ, inſulæ, theſauri, exercitus, quibus ipſa Hiſpania ſcatet. Quid verò cavillaris, *auxilia* à nobis *varia* conduci. Quid Gallo frequentius? Quo non anno prope Germanos, Belgas, Danos, Anglos, Italos, Turcam ac diabolum prope ipſum in ſubſidium, fœdus, fraternitatem contra Hiſpanos, in notoriè pravis Conatibus ſuis, per literas, legatos excivit? Mirumne igitur & ridiculo congruum, ſi contra pacta, honeſtatem, fidem toties conteſtatam ex improviſo oppreſſi ſocietatem eamque non indecoram, ambivimus? Scilicet id urit, quod

applauſores rei turpis nullos Illi, quod juſtæ cauſſæ adſtipulatores egregios invenimus ipſi. Hi nobis ergò, &, ſuper omnes alios Adjutores, quos ſingulos ſcitis, *Aud. Optimi*, Gallo pares ſemper, ſæpe & ſuperiores fuiſſe, Rex Regum, non Gallus aliquis, quem adulatores aliqui inani ambitione Germaniæ, orbique impoſitum volunt, ſed DEUS O. M. juſtis armis armorum cauſſæ præſens ac gratioſus eſt, Ducem ſe atque Atchiſtrategum ſiſtet. Nec verò omnia adeò in numerato habentur in illo regno, ſi ſubditorum omnis ordinis per immoderatas exactiones exhauſtorum animos, voces, & non duraturam illam militum congeriem, citra affectum conſideramus. Difflabit eos Numen, ut ventus folia, & injuſtitiam tantam penſabit meritis redhoſtimentis. Injuſtè enim, quod Vos ſcire intereſt, *Auditores*, injuſtè captant Hiſpanos Galli, omnemque eos fallendi opprimendique anſam & occaſionem quæritant. Id Vobis *Aud.* breviter & cum fide repræſentabo. Primò *Belgium*, quod raptant, nulla juris ſpecie ad ipſos ſpectat. Id ſcitis feudum Imperii Germanici. Eo igitur ipſo fœminæ quouſque ullus maſculini ſexus ſuperat, excluſæ erunt. Nec vel uſus Diverſum induxit unquam, nec ſalus reipublicæ aliud exigere potuit. Undè & Carolus V. Imperator anno 1549. ſanxit indivulſam planè unionem Belgii cum Hiſpaniis, nuſquam hactenus violatam minus ſublatam penitus. Id & communis imperiorum ratio, ut ſalva ſit, præcipere videtur.

Devolutio verò, quæ jactatur, tantùm privatis indicta, quo magis è primo conjugio liberis proſpectum

es-

eſſet, adverſus iniqua ſæpè patrum ſtudia, poſt ſecundi Voti cupidines. Quarè cum *confirmatio* horum & omnium aliorum ſtatutorum petita fuit à principibus, Belgii Dominis, reſervata ſemper eſt poteſtas eminentior & arbitrium, aliud, pro reipublico commodo, inducendi. Quàm autem inepta ſit collectio à jure privatorum ad Principes? Quàm ipſis Gallis adverſa, qui Salica lege omnes femellas penitus excluſas volunt à tali ſucceſſione? Quot ipſi provincias amiſſuri, ſi eo jure, quod in nos urgent, attineri debeant? Sed repoſcentem audio, quæ Reginæ ob *matris* illatam *dotem*, *donationem propter nuptias* aut *mundum muliebrem* debeantur. Dignum verò argumentum paci abrumpendæ, & miſcendi terram cœlo. Uti *dos, Reginæ promiſſa*, nec dum exoluta dicitur, non equidem Hiſpanorum, ſed actorum horundem culpâ, qui idoneas accepti tabulas, quales ſtipulati erant, nunquam exhibuerunt; cæteroquin ſua habituri, cum facienda integrè præſtiterint. Reſpondeant ipſi verò, quo fuco illituri ſint *perfidiam renunciationis* factæ, cui, quidquid dixeris, Kobi, *pacificatio* veſtra & tot per illam conceſſa innituntur, irrita cuncta futura, cum datam fidem revocaveritis.

Sed plenius rem eloquar. Belli feralis finis utrinque quærebatur. Nuptiæ illæ demum remedium porrecturæ credebantur. Quod verò & Statûs Hiſpanici legibus omnis unio Hiſpanici Imperii ad aliam rempublicam exploſa, filiæ viciſſim regiæ admiſſæ ſcirentur defectu marium, in ſucceſſionem ſceptri, quam tamen ipſa Gallia nunquam tolerat, ea ratio demum ab *ipſis Gallis* oblata eſt, ut Infans re-

nun-

nunciaret juri ſucceſſorio ſuo. Nec ea nova videbitur, quam ejusdem mater antehac, conſentientibus Gallis, ipſa perinde præſtitiſſet. Nec ſua natura abhorruit, cum expectanda mors fratris eſſet, quem fata tamen ſoſpitant. Rex Hiſpanus interim, juxta penſitato filiæ jure & connubio, ejus arbitrio rem expoſuit, utrum legeret, eo ipſe ſtaturus. Illa viciſſim certa dubiis, præſentia futuris antehabens, & maritum Gallum prætulit, & renunciationem lætiſſimo animo explevit; nec vereor dicere, idem optaturam, ſi vel hodiè caſus idem revocabilis obferretur. Nec abnuit vel Mazarinus ſubſcriptionem, nec Rex Gallus juramenti religionem, multorum licet menſium moras, ſummorum virorum conſilia nactus, undè, ſi quid in re iniquum, ſi damnoſum, videretur docere, & amplius apud Socerum inſtare potuiſſet. Tanti quoque temporis poſt nuptias conſummatas lapſu, ad mortem uſque Soceri, ne minima quidem ſuſpicione tetigit nos, voluntatis vel judicii abhorrentis. Undè protinus æſtimabitis, A. cum renunciatio hæc inter principia pacis hujus potiſſimum, bonæ fidei contrahentium innixa, interque viros Principes ſummique faſtigiique confecta, bono publico & legibus regnorum Hiſpaniæ obtenta, à cupientiſſima liberrimaque filia, eadem item, ut plenis nubili annis, majorenni, nullo læſionis veræ, ubi tantæ provinciæ bonaque ceduntur, indicio, quam indecorum tanto nomine ſit, fidem datam, juratam, ratihabitam tot annis, momento, ubi lucrum & opportunitas ſubeſt, abrumpere, variisque juris obſoleti & impertinentis eluſionibus ſanctiſſima regum

fœ-

fœdera abolere à quàm minimè dignum genero, pati, quin commodare auctoritatem in tam enormia in ſocerum defunctum probra, quibus mortuo Leoni aulici gnathones per publicas ejusmodi chartas inſultare non verentur? quàm & nefarium ſit, prætextus tam frivolos, tam improbabiles, non jure, non ordine agendi inter principes perſonas, eas præſertim tot neceſſitudinibus connexas ſibi, ſolenni, ſed vi armata, contra promiſſa perennaturæ concordiæ, impetu perurgere? Enimverò ſi vel maximè omnis, quæ à Gallis jactatur, juſtitia exploratiſſima eſſet, is tamen procedendi modus ſummæ iniquitatis & abſurditatis meritò damnabitur. Huic ſi ipſorum cauſſa, *mi Kobi*, reclamas, agedum, id mecum primùm agnoſces, regem Gallicum non aliam perſonam ſuſtinere heic poſſe, quam quilibet hæres, ſuum jus receptis privatorum legibus aſſerturus ſit, quàm, qui tutorio curatoris vel ſimili nomine tertio alicujus jura aſſerat, uti heic illæ conjugis ſuæ? Id quidem profitetur ultrò, & profeſſum decet, ſi jure acturus ſit, via modoque competenti, qualem jura præfigunt, incedere. Sic cum forum ſit his ditionibus appetendis imperium Germanicum, huc ergò intenderet? & feudi dominum, ad ſuæ ſucceſſionis jura tenenda invocaret? nam & id jactant, eis juribus Belgium ſe poſſeſſum ituros, quibus & Hiſpani prius habuerint, & feudi Germanici jura ſimul crepant. Titulus quoque belli hujus quàm probus? uxori devolutam hæreditatem peto. Res adhuc ambigui juris eſt. Probandum hoc. Nec dum probato, tuæmet cupiditatis executor, nullo dum judice, nec decreto accepto, licitè vi armatâ

pertendes? Hoc ſi rem conficit, auctorare hominem privatum, qui tui juris ſummam perſcribat, mox vi armata illam exequi; quæ iſta vero turbarum ciendarum pravitas execranda fuerit! ſiſte enim, qui juſtis Gallorum poſtulationibus præfractè, nullo juris obtentu, adverſatus ſit, cum ne oblata quidem unquam fuerit nobis veſtra petitio. Quem enim legatum eo nomine vel vivo vel mortuo Rege miſſum ad aulam Hiſpanam oſtendis? quas literas profers regias, & in iſtud argumentum ex propoſito ſcriptas? Matrem Gallicam verò nomines, Fontano Comiti, legato tum noſtro id committentem? Nec verò vel voluiſſe ipſam hoc probabis, nec Fontanum rem talem, contrà ſuum officium, ſuſcepiſſe. Falsò quoque tenebaris, cum illa collocutio fortuita, & ante mortem regis inciderit; nunc quanto ineptius eſt, à morte ejus per matrem regiam iſta fuiſſe propoſita? Quod igitur ipſa ſuo privato nomine, incidenter, caſu mortis nondum exiſtente, nulla deſignatione rei, quæ peteretur, ad eum, cui talis cura non erat credita, diſſeruerat, quod & reginæ noſtræ reſponſo prudenti & æquiſſimo exciperetur, an ita procedendi ſufficiens fuiſſe ratio videbitur? Quid? cum, à morte noſtri regis, legati Gallici, nulla penitus mentione rei factâ, ſemper amorem, pacem, ſtudia Regis tam prolixe tam aſſeveranter afferrent? Bellum verò novum meditatis congruebat, denunciare non pacis fidem, ſed hoſtilia odia, ut jura gentium poſcunt, & vel barbaræ & fidei divinæ ignaræ gentes ſanctum habuerunt, & hodienum obſervant. At! oblinere os credulis, colludere juratis hoſtibus

 Luſi-

Luſitanis, præbere vires & fomenta pertinaciæ, ſus-deque habito, quid jurata prius pactorum in illud ipſum fides deſideraret, ac variis aliis modis irritare patientiam tranquillorum, captata demum occaſione per mortem Rectoris, rebus varie turbatis, contra *infantem*, cujus innocentiæ etiam ethnicos moram ad bella tribuiſſe ſcimus, improviſum odium & truculentos inſultus exercere; hoc vero A. hoc an jus fasque ſit? an ulla æqua ratione tolerabile? in iis præſertim, qui ſe Conditores ac arbitros omnis juſtitiæ virtutumque divinarum attollunt? Vos quæſo & obteſtor, cognoſcite, penſitate, & æquiore ſententia determinate! Abhorrebitis, ſcio, & nec jus heic ullum, ſed profligatiſſimam iniquitatem intervenire pronunciabitis, nec juris perſequendi probabilem modo, ſed vim & fraudem ubivis rem geſſiſſe deteſtabimini.

Quid denique, *mi Kobi, indemnes* hac pace Hiſpanos contendis? nonne magnum, immo maximum damnum paſſuri ſunt? Bone Deus! ad explendam libidinem & avaritiam ſuam oppugnatum noſtra veniunt, vaſtant urbes, rapiunt, ſternunt, corrumpunt obvia quæque: adde populationem agrorum, prædas hominum atque pecudum actas, incendia villarum ac ruinas, omnia ferè vel ferro vel igne perdita. Nunc, cupidine quodammodò expleta, viribus noſtris in adverſum coeuntibus, pacem conſtituere cupiunt, ſibique ampliſſimas ditiones, urbes, oppida, propugnacula aliaque immodica deposcunt, idque, ceu ſummo jure debitum; uti impudens non minus quàm ſæva eſt injuſtitia. Utilis

ergò

Ergò ſit talis pax, ſi totæ regiones auferantur & quidem florentiſſimæ, jura, opes, commoditates innumeræ & maximæ decedant? quis quæſo Vos, A. talem pacem ulli Principi ſalutarem, auſit appellare? ne dicam, quòd Hiſpanorum præſens Decus ſic amittitur, Maiorum evaneſcit, & cavendum ſumme eſt, ne aliquando Monarchia, quam in Hiſpanis tantoperè exagitarunt, Gallica, toties meditata, propalata & contra Germaniam ipſam publicis ſcriptis quæſita erumpat.

Quis optet igitur, quis admittat talem pacem? non video juſtitiam; non æquitatem; non honeſtatem; non ſuavitatem; non tranquillitatem; nec utilitatem ullam, quæ vel in ſalutem publicam redundet, vel privatis tolerabilis, Deo grata, hominibus probata ſit. Ite igitur AUDITORES, judices æqui & prudentes, ite in ſuffragium; *Ego dico, itero, tertioquè*

Pace Gallorum ſuſpecta tutius contra ipſos bellum fore.